



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

13. Iudæi Christu[m] expelle[n]tes, expulsī.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

bilibus erit cogitandum? Quis autem fuerit numerus eorum, qui intus fame consumpti periére à 14. die Aprilis, qua cœpit obsidio, vsque ad Cæl. Iulij, custos vnus portæ Mannæus Lazari filius transgressus ad Titum testatus est, per eam scilicet portam sibi commissam, elata fuisse cadauera centum quindecim millia & octoginta, absque illis, quæ propinqui domi, vel in hortis sepeliissent. Post hæc nobiliores profugi, mortuorum egenorum sexcenta millia portis eiecta nuntiabant; aliorum verò numerum, minimè potuisse comprehendere: nam cum cadaueribus efferendis non sufficerent, congesta dicebant in maximis ædibus cadauera esse inclusa. Quia autem non solum fames ipsa pestem trahit seorsum, sed etiam præ inedia lacertas & serpentes, & venenata animalia comederunt, idcirco ingens quoque pestis, per illos, grassabatur. Vnde muscarum instar conciderunt mortui, omnibus vndiq; malis appetiti. *Qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.*

11. Iudæi in tunicam inconsutilem Christi sortem miserunt, quis quid tolleret. Vt ergo par pari referretur, tempore obsidionis, ipsi inter se Iudæi sortiti sunt, vter alterius carnifex fieret, atque alterum occideret, ne in manus hostium deueniens grauiora pateretur. Et quia clamauerunt: *sanguis eius super nos, &c.* id eò postquam Titus est ciuitate potitus, omnes obuij mactati sunt, omnia cum ipso templo incensa: ira, vt quamuis incendijs omnia lucerent, plus tamen sanguinis, quàm ignis videretur, & multis locis flamma ipso sanguine extingueretur; quasi aquæ, non sanguis, essent affusa. Sunt, qui scribant in sola vrbe Hierosolymitana per tempus obsidionis decies centena hominum millia fame, peste, igne, ferro interijisse; nonaginta septem millia capta. Ite, Iudæi, vincula iniicite Messie vestro; accusate innocentem, percutite, cædite, occidite, ovis instar obmutescentem: non erit semper tempus tacendi. *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

12. Iudæi Christum non solum eduxerunt è ciuitate sua grauiissimo crucis trunco oneratum, sed etiam enixis precibus à Pilato impetrarunt, vt in cruce auersus ab vrbe, versus occidentem suspenderet, indignum eum iudicantes, qui urbem aspiceret. Pari pacto & ipsi, non solum ex vrbe Hierosolymitana, sed etiam

XII.

Ioan. 19. 24.

XIII.

etiam ex tota patria sua sunt exturbati, venditi, capti abducti, itaque ubique contempti fuerunt, ut ad nullum honestum officium admitterentur, sed teste Ammiano, non aliter quam *olidi & facientes Iudaei* appellarentur. Ita odor ille compensatus est, quem Christus inter mortuorum ossa, in monte Calvaria, sustinuit. Quin & Aelius Adrianus postea edicto cavit, ne quis de Iudaeorum gente amplius circa rudera civitatis compareret. Certè Iudaei non solum exuti templo, sacrificijs, civitate, per diversas orbis partes (ut olim profugus Cain) vagati sunt, & adhuc vagantur, sed etiam omnibus gentibus odiosi & abominabiles redditi fuerunt. Sic impletum est illud: *disperge illos in virtute tua, & depone eos, ut omnibus in opprobrium dati, testimonium essent, iuxta vaticinia Prophetarum, iam Messiam venisse, sed à Iudaeis agnitum non esse; eicientes ergo Christum eiecisti sunt.* Atque *Captivorum quidem omnium, ait Iosephus, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta & septem millium comprehensus est numerus: mortuorum vero, per omne tempus obsidionis, undecies centum millia.* Ite, exules, *qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Inde expellimini, unde Dominum vestrum expulistis.

1. 19. de Iud.
Cod Theod.
Ammian.
Marc. lib. 2.

Psal. 58. 12.

Vide S. Augustinus, in
Psal. 58. Ioseph. l. 2. d.
bell. Iudae. 17.

XIV.

Ioseph. l. 7.
de bell. c. 2.

13. Quia autem Iudaeorum de Christo consilium fuit, *eradicandum eum de terra vivensimum*, ideo non solum ipsi, ac etiam eorum templum, & civitas, & Resp. est eradicata. Licet enim Titus per se, perque Iudaeos, qui ad castra Romanorum confugerant, Iudaeos ad deditionem honestam saepius invitaret, quin etiam rogaret, ut si non sui, saltem templi rationem haberent, ne irruentes illud milites inflammarent, tantum absuit, ut ipsorum saluti consulentes audirent, etiam his omnibus superbe spreis, obstinato se animo omnia libentius expecturos mala iactarunt, quam ut se dedere vellent Romanis. Titus igitur contestatur Deum & homines, se ad urbis & templi excidium compelli. Quod & fecit inuitus; immò contra eius iussum incensum est à militum furore, ita ut *nec lapis super lapidem remaneret.* Incenso templo, à Tito licentia militibus data est etiam civitatis inflammandae, & solo aequanda. De quo excidio haec Iosephus: *Postquam, quis occideret, quidne raperet, non habebat exercitus, quòd iratis animis omnia decerant, neque enim parcendo, si esses, quod agerent, abissent.*

Vide Baronium qui haec omnia fuse dicitur. An. 70. Luc. 19. Ioseph. l. 7. de bell. c. 18.